



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Tribunal Poenitentiae Sev Libri Dvo Prior De Poenitente Ut Reo Posterior De Confessario Ut Judice

Stoz, Matthäus

Anno M.DC.LXXXIX.

§. 3. De errore mutilante.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-37144**

aium, agant contra Iustitiam, & ex Iustitia obligentur ad compensationem; Confessarius tamen non agit contra Iustitiam, nec tenetur ipse quidquam restituere illis, qui ex eo solo damnū accipiunt, quod ipse pœnitentem non monuit, sicut ex officio suo debuit, de restitutione illis facienda. Lugo *l.c. à n. 67.*

Simile fere discrimen ostendit Lugo *l.c. n. 70.* inter Prælatum, Patremfamilias aut Dominum, & inter Confessarium. Nam illi respectu suorum subditorum, domesticorum, aut famulorum sunt caput aliquod politicum, cuius officium est, ita suos regere, ut aliis non sint damno; Confessarius autem respectu pœnitentis non est caput politicum, sed tantum Magister, Medicus, & Judex spiritualis, cuius officium respicit unice tantum pœnitentis bonum; & quidem non temporale, sed tantum spirituale animæ. Unde etiam si pœnitens, cum nihil debeat, aliquid alteri restituat ideo solum, quia Confessarius illum, sicut potuit & ex officio debuit, non monuit; tunc Confessarius ne illi quidem tenetur quidquam ex Iustitia compensare; sed debet pœnitens sibi ipse imputare, quod silentium & omissionem Confessarii fuerit male in suum damnum temporale interpretatus.

## §. III.

## De errore mutilante.

180. III. Si denique Confessarius errat solum circa integritatem confessionis, tunc vel errat *positivè*, dicendo pœnitenti, eum non teneri speciem aut numerum horum vel illorum peccatorum mortalium hinc & nunc confiteri, cum tamen

teneatur, vel errat tantum negativè omitendo, & de mortalibus, generatim tantum confessis, non interrogando speciem, aut numerum. Si Confessarius priori modo culpabiliter, vel inculpabiliter erravit, & postea, cum errorem advertit, potest sine gravi suo incommodo monere pœnitentem, tunc tenetur eum monere; quia alioquin esset moralis & positiva causa, ut pœnitens contra legem Christi, quamvis inculpabiliter, non confiteretur integrè. Lugo *cit. Diss. 22. n. 74.* quem sequitur Dicast. *l.c. n. 526.* Sed quia meritò censetur grave incommodum, ut aliquis seipsum coram alio confundat, eique cum suo rubore proprium suum errorem vel delictum manifestet, meritò etiam Suarez, Filliuc. Dian. & alii apud cit. dicunt, *regulariter* Confessarium non teneri monere pœnitentem.

Et quidem eum, qui inculpabiliter ita erravit, fatetur etiam Lugo *l.c.* raro teneri. At verò illum, qui cum peccato mortali ita erravit, putat Lugo obligari non solo præcepto charitatis de vitando scandalo, sicut priorem; sed etiam ipso præcepto de integritate confessionis; ideo ait, eum ab obligatione pœnitentem monendi non excusari, nisi ob tam grave damnum v. g. infamiam, quantum si pœnitens metueret, non teneretur integrè confiteri. Sed hoc in materia Iustitiæ facile concedo, quia culpabiliter inducens aliquem ad alterius Jus lædendum, contrahit obligationem ex Iustitia non tantum monendi de errore inductum; sed etiam id ipsum, quod inductus debet, in ejus defectu præstandi. Ille autem, qui culpabiliter aliquem induxit v. g. ad contrahendum Matrimonium cum

voto simplici castitatis, ad ludendum contra Juramentum &c. dicendo id esse licitum, agit quidem contra præceptum Religionis, & vi illius tenetur monere inductum; sed inde nullo modo obligatur ad id ipsum, quod inductus debet, in ejus defectu præstandum: ergo multò facilius, & ex leviori causa potest quis excusari ab obligatione monendi inductum ad agendum contra votum, juramentum &c. quàm sufficiat ad inductum excusandum ab obligatione ipsius voti, juramenti &c. Et si ergo Confessarius plus obligetur, qui hic culpabiliter, quàm qui inculpabiliter erravit, regulariter tamen uterque ratione confusionis, & pudoris subeundi in manifestatione sui erroris coram pœnitente est sufficienter excusatus.

Dico *regulariter*: quia si Confessarius de occasione proxima peccandi dixit (sive culpabiliter sive inculpabiliter) pœnitentem posse licitè in ea manere, cum non possit, tenetur postea de suo errore illum monere, & scandalum tollere; sicut lex charitatis & regula Prudentiæ dicitur. Disparitas est; quia in hoc casu Confessarius exponit pœnitentem periculo peccandi formaliter; in aliis autem, peccandi tantum materialiter.

181. Quando Confessarius erravit merè negativè, omitendo interrogare de numero aut specie mortaliū, ostendere obligationem vitandi occasionem proximam &c. tunc postea, cum advertit, ad nihil aliud tenetur, quàm ut de peccato, quod fortè hic commisit, doleat, & confiteatur. Ratio, quia imprimis Confessarius sic non concurrit ut causa ad defectum integritatis, vel ad pecca-

tum ex occasione proxima postea commissum; deinde ut Judex debet quidem ex officio interrogare pœnitentem, eique ostendere suas obligationes, sed tantum in actu ipsius Judicii Sacramentalis, ergo eo finito, cum jam functus sit suo officio sive benè, sive malè, nihil amplius potest, aut debet circa illud agere; sicut nec alius Judex.

An autem Confessarius in aliqua sequenti Confessione, cum iterum sit Judex, possit, & debeat de ommissis in prioribus interrogare vel monere, ut affirmat Lugo & Dicast, patebit ex dicendis de sigillo Confessionis, de quo paulò post vide *infra* n. 195.

#### §. IV.

##### *De modo in prædictis erroribus corrigendis servando.*

182. Quæres autem hîc denique, si Confessarius juxta prædicta tenetur, aut vult monere de commisso suo errore pœnitentem, quomodo id possit facere? Resp. si extra Confessionem vult monere de errore circa aliquam obligationem à peccatis confessis dependentem, v. g. restituendi, vel circa speciem aut numerum alicujus peccati; tunc debet à pœnitente prius petere facultatem, cum illo de confessione facta loquendi. Et si pœnitens facultatem concedit, potest Confessarius ei dicere, quidquid necessarium videbitur: si neget, debet Confessarius tacere, quia alioqui frangeret sigillum; Securus tamen est, quia petendo fecit, quod debuit & potuit. *Coninc. de Sacram. Disp. 8. n. 144. Tamb. de Confess. l. 3. cap. 8. n. 9. uti & si pœnitens*